TENTAMEN MEDICUM DE PODAGRA,

QUOD Deo duce & auspice Dei-Parâ, in Augustissimo Ludoviceo Medico Monspeliensi, publicis subjiciet disputationibus,


AUCTOR,

DANIEL-JOANNES GALLO, ex Civitate Smirna in Asia Minore, Liberalium Artium Magister, & in Celeberrima Monspeliensi Universitate, jamdudùm Medicinæ Alumnus,

die mensis Januarii, anni 1785.


PRO BACCALAUREATUS GRADU CONSEQUENDO.

Principiis obsta, sero Medicina paratur
Cum mala per longas invaluere moras. OVID.



MONSPELII,
Apud JOANNEM MARTEL, NATU MAJOREM, Regis, Occitaniæ Comitiorum, Universitatisque Typographum Consuetum.

M. DCC. LXXXV.



ARGUMENTABUNTUR

N. N. D.D. PROFESSORES REGII.

N. D. JOANNES-FRANCISCUS IMBERT, *Cancellarius & Judex.*

N. D. PAULUS - JOSEPHUS BARTHEZ, *Cancellarius & Judex, Adjunctus.*

N. D. FRANCISCUS DE LAMURE, *Decanus.*

N. D. GASPAR-JOANNES RENE', *Pro-Decanus.*

N. D. ANTONIUS GOUAN.

N. D. FRANCISCUS BROUSSONET.

N. D. FRANCISCUS VIGAROUS.

N. D. JOANNES SABATIER.

N. D. JOANNES - CAROLUS DE GRIMAUD, N. D. BARTHEZ, *Coadjutor.*

N. D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN, N. D. DE LAMURE, *Decani Coadjutor.*



OPTIMO, CARISSIMO

CONSOBRINO MEO

DOM. G. V. ZIMMERMAN,

DOCTORI MEDICO, CIVITATIS SMIRNENSIS PRACTICO CELEBERRIMO.

CONSOBRINE CARISSIME,

FAMA & honore tanto Medicinam exerces, ut nihil his gloriosius dari judicavi, ex inde me ad Medicinam vertebam, ut splendorem


quem in te mirabor, conarer assequi, sed heu tardo pede! Si tuum erat me indesinenter favore, & amicitia persequi, meum etiam est, omnes occasiones præripere, queis gratum meum animum tibi manifestare possim, amicitiæque pignus, quem in finem hæc tibi offert,

CONSOBRINE CARISSIME,

Humillimus & obsequentissimus
Servus & Consobrinus,
D. J. Gallo.



TENTAMEN MEDICUM DE PODAGRA.



§. I.

ARTHRITIS morbus eſt familiariſſimus articularis nulli ſexui parcens, ſedem habet potiſſimum in articulo pedum, licet in omni exiſtere poſſit, ſimul aut ſeorſim; ſi primum arthritis generalis dicitur, ſi ſecundum particularis: varia nomina à loco affecto accepit; ſi pedes afficiuntur dicitur podagra, ſi manus chiragra, ſi coxendix iſchias, ſi genu ghonagra, &c. Morbus iſte apud Barbaros gutta audiebat, quia ex abſurda hyppotheſi ab humoris cujuſdam ſtillicidio in articulos facto dolorem oriri putabant, quo quidem nomine hâc gallicâ voce *goutte* indigitamus, notare nunc expedit, etiam ſi podagra vocabulum propriè de pedum dolore intelligatur, juxtà tamen *Cratonem*, *Cardanum*, *Lucianum*, ab uno membro deſumptâ appellatione pro omni arthritide podagra habetur: cùm fieri ſoleat ut pedes ferè primò & frequentiùs hoc morbo corripiantur, & rarò cùm alii articuli conflictantur, immunes ſint; nos verò ſtrictiori ſermone utentes genericum nomen arthritidem nempè admittimus, de ſolâ podagrâ nobis agendum incumbit.

§. I I.

Hæc quidem podagræ tempora diſtinguenda veniunt, ut ex illis diagnoſis facilius pateat, nempe tempus invaſionis, exacerbationis, & declinationis. Sub primo tempore nulla ferè preſſentione antecedente ingruit illa, niſi quod ventriculi cruditate aut apepſia ad ſeptimanas aliquot æger laboraverit, corporis interim intumeſcentia quaſi ventoſa, & gravitate quæ in dies augetur, donec tandem detonet paroxiſmus, quem paucis diebus præit torpor, & quaſi flatuum deſcenſus per femorum carnes, cum affectione ſpaſmodeïa tum etiam pridiè paroxiſmi appetitus voracior datur non tamen naturalis. Sanus lecto ſomnoque committitur, ſecunda hora poſt mediam noctem excitatur à dolore policem pedis ut plurimum occupante, quandòque verò calcaneum, ſuram aut talum: hic dolor eum refert, qui oſſium dictorum diſlocationem comittatur cum ſenſu quaſi aquæ tantùm non frigidæ partis affectæ membranis affuſæ; mox ſequitur rigor, cum horrore & febricitatione aliquali, vel ſaltem motus naturali concitacior: errodentes lacrymæ ex oculis effluunt, dolor autem hic primo remiſſior gradatim intenditur (pari paſſu rigor & horror recedunt) idque in ſingulis horis, donec tandem ingruat tempus ſecundum, ſub nocte enim ad apicem pervenerit ſe ad varietatem oſſiculorum tarſi & metatarſi, quorum ligamenta obſidet per bellè accommodans nunc tenſionem violentam vel ligamentorum dilacerationem, nunc morſum canis rodentis, aliquandò preſſuram & coarctationem exprimit; ad hæc ità vivum exquiſitumque habet ſenſum pars affecta, ut nec linteorum ſuper incumbentium pondus, nec cubiculi à fortiori ambulatione concuſſionem ferre valeat. Hinc mille conamina ſitûs, tùm ipſius corporis, tùm membri affecti mutatione aſſiduâ doloris ſedationem incaſſum exambit; quæ tamen non contingit antè horam ſecundam tertiamve matutinam (decurſo ſcilicet nyctimeri ſpatio à primo appulſu paroxiſmi) quo tempore æger poſt materiæ peccantis modicam digeſtionem, & diflationem aliqualem ſubitò à dolore reſpirat. Jam leni madore perfuſus ſomno indulget, à quo evigilans, dolore multum imminuto partem affectam tumore recenter occupatam cernit. Intrà paucos dies alter pes eodem dolore torquetur, eaſdemque excitat tragœdias & tita ſuos percurrit paroxiſmos; non unquàm etiàm ambos pedes in initio occupare poteſt. In paroxiſmo urina pauca, coloratior eſt, quæ ſedimentum rubrum, & quaſi arenulis refertum deponit; nec æger ut plurimùm niſi tertiam potulentorum, quæ aſſumpſit partem per veſicam reddit, alvus item ad dictos ferè primos dies conſtipata eſt. Æger tremore & frigore corripitur, quibus ſuccedit venarum turgeſcentia: tumor modò rubet inflammatorius nec-non valdè dolorificus, modò quaſi

ædœmatofus, hinc nafcitur genuina podagræ fpecies , calidæ fcilicet & frigidæ (alia adhuc divifio de quâ mox infrà loquar.) Declinationis verò tempus habetur per dolorum mitigationem , excipit pedem affectum pruritus vix ferendus, maximè inter digitos , undè decidunt furfures, & pedes ipfi quafi ab epoto veneno defquamantur , & ad cutem deponitur materia , ficque folvitur morbus ordinario; in corpore vegeto & iis quos podagra rariùs invafit , diebus fæpè quatuordecim terminatur; in fenioribus , atque iis, quos fæpiùs afflixit, duobus menfibus.

§. III.

Solemnis eft divifio podagræ in hæreditariam & acquifitam, in regularem & anomalam : alii in calidam & frigidam , hæc ultima divifio ex tumoris indole (ut jam dictum) nec-non à juvantibus & lædentibus confirmatur ; alii dividunt in univerfalem & fubintrantem , in permanentem & contagiofam, licet hanc omnes Auctores non concefferint , cùm quotidiè uxores cum marito podagrico decumbant, quin ipfæ afficiantur morbo.

§. IV.

Ægritudines , quibus cum podagrâ cognationem habent, funt ; ofteocopus & rheumatifmus, ab hifce fic difcrepat , 1°. ab ofteocopo, quod per periodos recurrat, preffione augeatur dolor , prætereà quod offis mediam partem non occupat, fed folis epiphifibus , ligamentis , apponevrofibus affideat. 2°. A rheumatifmo, quod dolor longè fit acutior , & profundior carneafque partes afficiat. Utriufque morbi quandòque fit combinatio , ut videre eft apud *Sauvages*.

§. V.

Circà hujus fedes , pauciffimæ extant obfervationes , mirum fane ! Primo intuitu nodum verò folvit Illuftr. *Morgagnius* ; arthritis, inquit, cùm morbus fit divitum, rariffimè pauperum : horum autem non illorum cadavera anatomicis tradentur , quandò illorum fint incidenda vifcera , quidem vix unquàm artus examini permittuntur ; igitur quæ ipfe duoque alii fummi Viri *Lieutaud* & *Bonet* viderint exarare fufficiat , materiam cretaceam intrà membranas , & capfulas ligamenta res obfervârunt ; *Bonet* & *Morgagni* quandòque tamen intrà folam articuli cavitatem , capfulas verò ab ipsâ vacantes reperiêre , hoc femper reperiit *Lieutaud* ; quidquid fit, in articulis podagram degere , nemo quidem inficiabitur.

§. VI.

Cenfebat *Hippocrates* hujus morbi caufam primariam effe bilem aut pituitam corruptam cum fanguine maritatam , alii Auctores utramque : hi caufam alkalinam defendebant , alii falinam ; recentiores verò in de-

generatione quorumdam fuccorum caufam conftituebant, multi verò hoc vitium in ultimâ coctione affirmabant, alii diathefim particularem defendebant; inter has, fententia de vitio fecundæ coctionis probabilis videretur, fi podagra non juvenes robuftos & eos quibus certa bona fit digeftio ingrueret, & ubi hæc totaliter læfa eft nulla daretur podagra; Celeb. *Heriffant* experimentis freti pro causâ podagræ primariâ terram offium cretaceam acido folutam habemus, cùm in urinis podagricorum eamdem obtinuerit. Nonnulla tamen liceat dicere de theoriâ Clar. *Liger*, mucilaginem arguit tanquàm caufam primariam multifque experimentis ejus exiftentiam comprobare nititur; eam imprimis repetit à materiâ quâdam albefcente quæ podagricorum fanguine innatat: nec crufta, nec fungus adfunt, ut apud pleuriticos hunc colorem fanguinis fibrofæ adfcribit; theoriam mancam effe facilè vides. 1°. Materies illa albefcens nihil aliud eft, quam terra cretacea quæ non fatis ab acido deturbata fufpenditur. 2°. Pars fanguinis fibrofa gratuita, ea enim pars juxtà Chemicos, eft lympha animalis concretionis rudimenta moliens, ut membranas efformet vel ipfas corroborat; *Defaulx*, tranfpirationis fuppreffionem incufat. Undè ergò repetenda eft caufa? Diathefis peculiaris humorum à *Sydenhamio* admittitur, quia morbus ifte dependet à caractere fpecifico, ut nulli ætati fexuique parcat, fanos & benè valentes, debiles & ægrotantes corripiat.

§. VII.

Numerofiffimæ funt caufæ, quæ huicce morbo anfam præbent, hæ caufæ deducuntur ex rebus fex non naturalibus: 1°. Plurimùm cibus & potus conferunt; cibus quidem ex animalibus terreftribus per longum & largum ufum valdè huic morbo natales dat, ideò canes, & animalia carnivora, ut helluones hâc afficiuntur, hìc pertinent aromatica, & victus opiparus; ideò *Sydenhamius* obfervavit, quod divites & inertem vitam degentes, præ pauperibus & defatigatis afficiuntur hoc morbo. Vini & liquoribus fpirituoforum potatores privilegio quafi afficiuntur, & dictis magis obnoxii funt, undè Bacchi & Veneris filia falutatur à Poëtis podagra.

Λυσίμελȣ Βάκχου ϗ λυσιμελȣ̃ς Αφροδίτης
Γεννᾶ ἀι θυγάτηρ λυσιμελὴς Ποδαγρὰ.

2°. Venus immoderata, nam vires debilitat, enervat organa & quamquam dubium fit an prima vel fecunda coctio læfa fit, & caufam conftituant hujus morbi, attamen videntur coctrices vires fub podagrâ languere; *Hippocrates* aït: *Ennuchi non laborant podagrâ.* Idem aït: *Puer non laborat podagrâ ante veneris ufum*, *Baglivius*,

fatis

ſatis probavit quod intemperantia podagram caūſat, qui noſtræ favet ſententiæ.

3°. Otium & quies hujus mali fontes exiſtunt : præcipuè apud illos qui per juventutem laboribus arduis dediti erant, dein verò ex fortunâ divites otiantur : nam ſi exercitia aſſueta non continuantur, quies hunc componit morbum, non per ſe, ſed ex prægreſſo exercitio, quo ceſſante plethora humorum datur articuli in iis quaſi enerves facti ſunt, & ideò fluxionibus magis dediti. Melancholici, hæmorrhagiis aſſueti hippocondriaci podagræ obnoxii ſunt : aſt podagra apud hos vel ex ſuppreſſis fluxionibus dependens quaſi alterius generis eſſe videtur, eadem ſigna ac regularitatem habet, aliam verò therapeïam deſiderat ; *Hippocrates* ideò obſervavit, quod mulieres non laborant podagrâ niſi menſes deficiant, iiſque reſtitutis ab illâ liberantur.

Præter memorata podagram cauſant, perſpirationis ſuppreſſio ſubita vel diuturnior, vivida pathemata, erumnæ, vigiliæ, ſomnus longior vel cujuſcumque evacuationis cohibitio, articulorum contuſio, luxatio, fractura, balneationes frequentiores, plethora : *Ballonius* aït, quibus magna ſunt viſcera, & frequentes fuere hemorrhagiæ dùm juvenes erant, ii podagræ propenſi ſunt, & ii quibus perrubra facies plethoram inculpare inpromptu eſt, his adde cauſis, morbos qui podagram inducere ſolent, v. g. rheumatiſmum, ſcorbutum, luem veneream, rachitidem, febres vel continuas vel intermittentes, exanthemata, præſertim chloroſim apud mulieres, fœminas ac pueros aggreditur rarius hæc valetudo.

In quibuſdam regionibus univerſim fermè graſſatur, v. g. in Normaniâ, Britaniâ, Andegavenſi Provinciâ, apud exteros ut in Angliâ, in Sueciâ, &c. in aliis verò quaſi ignota eſt veluti in Burgundiâ, & in Aſiâ minori, &c. Podagræ paroxiſmus regularis plurimum recrudeſcit verno & autumnali tempore ; quandò omnium maximæ aëris varietates contingere ſolent. Plures ſapientes quàm fatuos, divites quàm pauperes hoc morbo affici obſervat *Sydenhamius* ; calculis excruciari ſolent podagrici : qui à patre ſene paroxiſmis jam vexato originem ducunt, huic morbo magis obnoxii, minùs verò qui ab eodem patre antè inſultus generatur. Licet hæreditaria obſervatur non neceſſariò filios inficit, quandòque nec patrem, nec filium divexabit, nepotem verò corripit immanius ; accidit pariter aliquoties ut hæreditaria primâ vice regularem non referat typumque, eò magis pertimeſcenda, cùm de ipſius exiſtentiâ vix adſit ſuſpicio.

§. VIII.

Podagra facilè cognoſcitur, ſi æger tres quatuorve paroxiſmos

passus fuerit sibimet ipsi fucum non facit ; difficultas in eo sita est, ut primi innotescant , memet enim fugit quâ infulsâ verecundiâ hæc incipiens valetudo , calcibus pedem lædentibus aliisque ejusmodi imputatur. Medicus inspecto circà partem affectam tumore vel inflammatorio , vel quasi œdematoso podagræ præsentiam arguere debet , ejus judicium transudatione partem irrorante confirmatur deficiente transpiratione ; quærat ab ægro , an dolor eodem tempore iisdemque circumstantiis exacerbetur: præter calidam & frigidam alia existit quasi media ; hujus enim dolores calidorum æquè ac frigidorum applicatione recrudescunt, rarissima verò undè ex albo tolletur, forsan de gradu pus minusve intenso intelligi potest ; pulsus, plenus explicitus, fortis in idiosyncrasia vegeta , accessum distantiam denotat.

§. IX.

Prognosis non est mali ominis generatim modo typum regularem servet , non facilè negotio curatur hæreditaria ; si veteribus fides sit hæreditaria vix curabilis , minimè juxtà quosdam , sed tantùm mitiganda ; hæc opinio meritò quidem acriter oppugnatur à multis Auctoribus (1) qui curationes hæreditariæ podagræ obtentas referunt ; fatemur tamen hujus speciei curationem plurimis in circumstantiis quasi impossibilem videri ; difficilius curatur etiam acquisita , si altas radices egerit cujus paroxismus simplex haud ægrè expugnatur : si semel iterùm terve materies in articulos depluerit longè laboriosius. Ætas ægri optimè noscenda , in sene enim nulla fermè spes : contrà verò in juvene in quo faustissima vaticineris ; an tumor calidus an frigidus maximè perpendendum prior non ita pertinax , nec dolor tam ferox , vigiliæ minus frequentes : si suppressis evacuationibus exercitio immoderato animi pathematibus , vel liquorum usui illegitimo supervenerit , nihil mali expectandum. Calli tophique concreti non sanantur juxtà *Hippocratem* ; hanc prognosin dedit in hoc morbo : *Quicumque*, *aut senes sunt*, *aut circà articulos callos* ἐπιπορώματα *habent*, *aut ærumnosè vivunt ac siccam alvum habent* , *hi omnes sani fieri non possunt humanâ arte* ; *qui verò juvenis est* , *& circà articulos nondùm tophaceos callos concretos habet* , *& accuratè vivit & laboribus amans est* , *& alvum bonam habet ad obediendum* , *pro studiorum ratione* , *hic sanè* , *Medicum intelligentiam habentem nactus sanus fieri poterit* (2). attamen uti posteà patebit , bonâ vivendi ratione , & oportunis remediis multum profici poterit

---

(1) *Coste* , *& de Saulx.*

(2) *Predict. lib.* 2. *cap.* 7. *Charter* , *tom.* 8. *pag.* 815.

etiam in podagrâ tophaceâ; *Sydenhamius* (1) teſtatur, ſe expertum fuiſſe quod exercitio longo, & quotidiano non tantùm ſeſe opponat generationi tophorum, ſed etiam veteres & induratos ſolvat, modo non eò uſquè invaluerint: narrat tamen *Deſaulx* ſe tophos curaſſe; ſi in podagrâ contingat luxatio difficulter ſanatur, aut prorsùs inſanabilis eſt, ligamenta enim facta laxiora ad tonum nativum difficile revocantur: varices è contrà multum proſunt, ſcripſit *Avicenas*, *ſi podagricis ſupervenerint*, *ſolvitur podagra*, *quia* inquit, *humores ad articulos fluere conſueti ad exteriores jam cruris partes derivantur.* (Quod ritè capias de materiei cretaceæ ſolutione), ſi in urinis fila alba innatantia quædam videntur, ſi dejectiones albidæ conſiſtentiæ materiæ ſcateant, multum pariter boni autumes; plurimi eximiique practici urinas albidas craſſiſſimas ſalubres obſervârunt: podagræ ſeminio hic color hæc conſiſtentia debentur, aliis viis quandòque eliminantur, ut vomitu in primis acido, ut vidit *Martianus* : narium emunctione ut obſervabit *Sauvages*, &c. ab aliarum moleſtiarum iliade vindicat; Auctores optimæ quidem notæ contendunt vitalitatis longioris præſagium eſſe, quàm mortis principium, multa verò mala valet procreare niſi regularis perſeveret. Igitur prognoſis conficiendæ cauſa monitum eſto podagram quæ ſuos periodos ſervare conſueta ſi non revertitur, lethalium non raró cauſam eſſe morborum: vide varietates ab illuſtr. *Muſgrave*, diligentiſſimè collectas, tùm per prophilaxin detrahatur, vel ad pedem derivetur, quod quidem valdè arduum, materia enim circà partes principes, pulmones veluti, cerebrum, inteſtina, &c. ut plurimùm vagatur.

§. X.

Ubi quis podagra decumbit, levis non eſt momenti ad ſequentia attendere: 1°. Ad idioſyncraſſiam: 2°. Ad ortum à parentibus podagricis: 3°. Ad vivendi modum, aliaſque cauſas pro catharticas quæ morbum induxerunt: 4°. Ad tempus ex quo vexatur patiens; inveterata enim ſanationi magis refragatur. Hiſce perſpectis ſic ſe ad curam accingat Medicus, ſciatque quod therapeïa variet pro variâ morbi causâ, pro variâ podagræ ſpecie; ſi alomala eſt, regularis reddi debet, de hâc tantùm agemus, ſub cujus variis temporibus, varia auxilia ſuppeditari debent: alia enim adhibenda ſub ipſo paroxiſmo, alia extrà tempus paroxiſmi. Sub ipſo paroxiſmo tria tempora notanda ſunt; primum,

---

(1) *De podagra*, *pag.* 590.

quo eminet ; fecundum , quo vexatur æger ; tertium , quo remittitur paroxifmus.

Quidam Auctores imminente paroxifmo fuadent evacuantia , ut venæfectio , cathartica , & fudorifica , &c. Hæc præfcribunt circà tempus quò fymptomata præcurforia fefe amant manifeftari , ut circà tempus folfticii , equinoctii ; aft primò nunquàm adhibenda eft venæfectio , nam cùm jam motus peculiares fiant fub hoc tempore arguitur & expoftulatur materiei alicujus depofitio ; celebratâ fectione tolleretur hoc commodum , perverteretur motus , fieret pejor irregularitas : quandò enim depofitio tophacea facta eft , podagra neceffaria eft ; prætereà facilè nobiliora organa petere poffet ; ideò concludit Illuftr. Profeffor hujus Licei D. *Vigarous*, imminente paroxifmo venæfectionem minimè celebrari debere , & ut ordinem fequamur à Clariffimo Profeffore propofitum fubjiciam examini eodem emetica. Imminente paroxifmo dantur naufea , vomitiones , quæ diftinguenda funt , an fit effectus imminentis paroxifmi , vel an ex ventriculi faburra , ut patet , v. g. crapula prægreffa , &c. Si imminet paroxifmus expectationi indulgere debemus , fi verò faburra datur , dato evacuantia ; ex dictis facilè patet , quod fub tempore imminentis paroxifmi minimè evacuare , fed expectare debeamus , præfertim , fi regularis eft : intereà tamen fi æger eft juvenis , robuftus , plethoricus non nocet venæfectio fpoliativa quæ tantùm adjuvans eft. Sub temporis vigentis paroxifmi , quæftio etiam movetur , an debeatur & ratum fit remedia activa adhibere , an evacuantia fuperius memorata , an narcotica , & fub quali circumftantiâ ? Negativa eft conclufio ; fi podagra eft molimen naturæ depurans corpus , & tunc , ut *Hippocrates* aït , *cocta non cruda nifi turgeant evacuare debemus* , & nihil movendum eft nifi coctio peracta fit : fi verò materies turgeret, ut patet ex tumore , rubore , dolore ; fi æger juvenis effet , robuftus , plethoricus : tunc una alterave venæfectio non noceret , quam priùfquàm inftituas , benè obfervandum eft , an materies morbifica depofita jam fit , ac fixa : fi jam depofita eft , & non ampliùs deponatur , in dicto juveni venæfectio inftitui poteft : fi materies vero morbifica eft in inftanti depofitionis depuratoriæ , fectio quam maximè noceret ; & facilè vifcera vexari poffent. Hæc eft fententia Auctorum circà venæfectionem ; aft mihi videtur venæfectio hic mere inftitui ex Medici timore , qui naturæ conamina non fatis cognofcit ut legere datur in thefi D. *De Loges* , condifcipuli & amici mei chariffimi ; cum quo miror , quod in podagra venæfectio fuadeatur , Auctores feipfos contradicunt , nam omnes fummi Practici caufam reducunt aut in læfionem primæ fecundæve coctionis , vel ex peculiari diathefi à potu fpirituofo , &c. aut coïtu dependentem , quis in hoc cafu venam aperiet ? Quomodò in priori dari poteft plethora ,

ſi dictæ coctiones læduntur : ex quâcumque causâ derivetur morbus conſtans obſervatio confirmat ; quod licet podagra olim plethoricum corripiat , talis tamen ſub morbo non ſit , cùm coctiones longè antè morbi invaſionem lædantur ; fermè remedium eſt empiricum ; an illi qui in omni morbo venam aperire volunt , venæſectione indigent , ut à venæſectionis præjudicio deliberentur , conſulamus naturam , quæ non niſi locales exigit , ut applicatis hirudinibus , aut ſcarificationibus , quibus ſpaſmus ſolvitur , & nulla timenda eſt repercuſſio , cùm materies non fixa ſit , quod dignoſcitur ex tumore & varicibus in ejus circumferentiâ ; laudavit quidem celeberrimus *Hoffmanus* , cucurbitulas cum ſcarificatione , ſi ſingulis tribus menſibus dorſo pedis applicarentur , dixitque quod inſigne levamen in pluribus , atque etiam in ſeipſo obſervaverit , qui non immunis fuit ab ejuſmodi inſultibus podagricis , licet benignioribus & non diù perſiſtentibus ; Celeberrimus *Sthal* etiam plura exempla refert , queis conſtat quod podagrâ liberati fuerint , aut ſaltem ſummoperè ſublevati plures , factâ ſingulis noviluniis ſcarificatione in metatarſi ſine ſuctione per cucurbitulas , ſolum lignea ſpatula fricetur uſquedùm è pede in aquam calidam collocato ſanguis efflueret ; alios plures ſanavit applicando hirudines ; in pluribus caſibus Moxa optimo cum ſucceſſu etiàm adhibetur. Emetica & cathartica ſemper contraindicantur , niſi in primis viis vitium aliquod reſideat , alias his malum augeretur , ſed major datur quæſtio , an narcotica debeant admitti , & ſi debeant , ſub quo tempore , ſub quo caſu ? Narcotica nunquàm dari debent ſi cauſa morbi humoralis eſt , attamen ſi dolor intenſiſſimus eſt , ſpaſmus detur & irritatio , narcotica ſuademus parvâ doſi ſed ſæpiùs repetitâ. Celeberrimus hujus Licei Prodecanus admodùm venerandus D. *René* , notandum nobis præbuit quod dentur quidam ægri , in quibus alta doſis laudani liquidi nullos edat effectus , quos tamen præſtat opium minori doſi exhibitum quam ordinariò dari ſolet , & vice verſâ. Quæritur an topica an oleoſa ? Hæc nunquàm adhiberi debent , niſi detur congeſtio fortis , topica verò emollientia , ut herbæ emollientes , cum micâ panis in lacte coctâ etiàm præſcribi debent : præcepta ergò *Sydenhamii* optima ſunt , nihil adhibendum eſſe , ſi æger dolorem ferre poteſt , regula hæc eſt generalis ſummorum Practicorum ; diæta neceſſaria eſt initio , tantùm aqua pulli , oriſæ , &c. utatur æger : deſinente morbo ſensìm diæta fortior conceditur.

Nunc quæritur an poſſit & debeat curari podagrâ ? Penitùs extirpari non poteſt , attamen palliativæ tractare poſſumus ; juxtà Clariſſ. Viros ſcopus curationis podagræ eſt , ut materies morbifica minuatur , ut illius depoſitio maturius adjuvetur , ut faveatur ſolutio : generalis therapeïa

chiurgiæ, pharmaciæ & diætæ debetur. Venæfectionis, hic alias non datur indicatio, morbus ifte tantùm debiles & languidos vexat in quibus vires defunt, fi venam fecares annomala fieret, ingravefceret coctiones labefierent; hanc igitur methodum quam Clar. *Lazerme* fequebatur noxiam putamus; fi aliqua evacuatio fuppreffa, revocanda eft, ideòque hirudines ad anum applicari poffunt: nota tamen ne hæc fiant, ac fimillima fub tempore motus depurationis, alias materies mobilis facilè in alia migraret organa. Cathartica foluto paroxifmo tanquàm therapeïa radicalis confiderantur. *Morgagnius* enim obfervavit, quod quotiefcumque alvus laxa aut foluta fit nunquàm ingruat paroxifmus, ex vice versâ fit contrarium, ideòque vult idem Auctor, ut æger omni die cathartica lenia ac parvâ dofi affumat, præfertim fi fit melancholicus, vel hippocondriacus, vel faltem fingulâ hebdomadâ fe purget, fed ipfa mifcela catharticorum cum fodorificis palmam refert, hæc enim alvum laxamus, & fanguinem depuramus; fudorifera verò fola hoc incommodum habent, iis enim augetur calor, rigor, folida exficcantur metaftafis fieri poteft; intercalari autem tempore pariter damnavit *Sydenhamus* calida fudorifera, ne per hæc materies podagrica nondùm fatis fubacta, in artus vi detruderetur, ficque novus paroxifmus excitaretur ante tempus, & invitâ naturâ. Quod autem non abhorruerit idem Auctor à talibus fudoriferis, quo lene aroma, multâ copia aquæ dilutum habebant, patet ex potu diætætico, quem podagricis, medio inter paroxifmos tempore, fumendum fuafit. Conftabat enim ille radicibus chinæ, falfæparillæ, ligno faffafras, feminibus anifi, &c. (1). Stomachica ut fpecifica habita fuere, quia coctio læfa erat, aft his non nimis indulgendum eft, nam vel ventriculus ex confuetudine fe his facilè accommodat, ut ampliùs continuari non poffint, vel calor adaugetur, nam illis qui tabidi & enerves funt, vel acrimoniam humorum patiuntur, ftomachica amara non dari debent, nifi præmiffis catharticis: fi verò prima aut fecunda coctio læfa eft, tunc dentur; ideòque à multis Auctoribus radix gentiana commendatur præ primis kinakina, cùm ftomachicum fit, & quafi fpecificum contra omnes morbos periodicos, quorum dofis augenda eft, cùm ventriculus facillimè his fe accommodet; in temperamento pituitofò, ubi nec calor nec acrimonia datur, ftomachica amara adhiberi poffumus. Attamen ut radicalis obtineatur curatio, nullum datur potentiùs remedium, quàm

---

(1) *Tract. de podagrâ*, *pag.* 585.

diæta vegetabilis, ac regimen acuratum, quæ sua incommoda etiàm habent, etenim hæc diæta non omnibus convenit, debiles enim, ventis obnoxii qui viscositatem & frigus in humoribus habent, ex hâc incommoda haberent : si verò diæta vegetabilis necessariò requiritur, addere possumus carnes juniorum animalium quæ magis ex vegetabili regno participant ; si verò æger melancholicus est & hippocondriacus, cum hâc diætâ admisceantur remedia tonica. *Sennertus* inquit, *cum ego olim articulorum doloribus vexarer & varios de eâ re Auctores legerem ; in eo omnes consentire animadverti in podagræ curatione, plus spei in bona diæta, quàm in medicamentis ponendum esse.* Celeb. *Lobb* (1) aliquot recenset casus, ubi tali diætâ utentes à podagrâ liberi manserunt non tantùm, sed & tophi podagrici sensim minuti, tandem omninò disparuerunt.

Diæta lactea etiàm, quam maximè commendatur, per hanc enim plurimi saluti restituti fuere : ast æger debet appetere & digerere lac, nulla adsit in primis viis saburra, nullus calor internus, nulla febris ; aliàs priùs febrem & alias causas debella, dein parva & fracta dosi lac præscribatur : similem diætam laudavit *Coste*, & utilitatem ejus in seipso expertus fuit. Frictiones siccæ artuum manè & vesperè repetitæ plurimùm valent, humores enim dissipant, & nodorum ac tophorum generationem prohibent ; confidenter ausus pronuntiare *Philagrius* (2), *quod solæ frictiones sufficiant his, qui etiàm maximè circà diætam delinquunt.* Exercitium inter primaria auxilia pono, equitatio licet potior sit quàm curru vehi, ambo tamen utilia sunt, & in eorum frequenti usu esse debet æger ; inter exercendum solummodò caveas ne aëri frigido ac humido nimium exponatur æger ac ejusdem vicissitudines fugiat : in aëre puro & temperato tùm ambulans, tùm quietus versetur ; indusium laneum gerat, studiis non incumbat nisi in quantum expostulat conditio ; cùm autem & litteratos homines summosque viros qui Reipublicæ gerendæ præsunt, toties excruciet podagra, monendi sunt, ut matutinas horas arduis rebus agendis impendant tantùm, hâc lege tamen, ut bihorium superfit exercendo corpori antè prandium. Pomeridianas horas ambulationi, rusticationi, &c. tradant vel gratis amicorum confabulationibus : vesperi nihil omninò tractant quod intentam mentis aciem postulet ; somnus sit maturus & longus, ideò *Sydenhamus* sollicitè monet podagricos, ut maturè lectum pe-

(1) *De calculo & podagrâ*, *cap.* XX. *pag.* 215, *&c.*
(2) *Ibidem.*

tant, & surgant diluculo: veneris palæstram sæpiùs non frequentet, nisi uxoratus. Hæc omnia, si religiosè observentur, ægritudinem eradicandam fore speramus; sed prudentis Medici erit, non facilè promittere integram curationem, imprimis si vel morbus diuturnior, vel ætas jàm provectior fuerit: aliquandò qui levem etiàm paroxismum sentiunt, penitùs immorigeri redduntur, monita Medicorum spernunt, & in pristinum vivendi genus ruunt proni, omninò desperantes de curatione morbi; quam tamen spondere Medici possunt si ægri observare velint illa quæ jam dicta fuerint. Hìc meus se sistit calamus! mens torpet! quid ultrà? Pauca tantùm attingere voluimus? Verum equidem est me ab hâc celeberrimâ Universitate plurima accepisse ac tantùm tenuia persolvere; ast Medicinæ Patres sapientissimi, perpendite legem, quæ inter vos, ac vestros philiatros datur. Magni enim amant plurima ac præclara porrigere & mutuis tenuibus contenti sunt, cognoscunt offerentium laborem ac vires! Laudanda voluntas.

FINIS.